THEOLOGISCHE SAMMELHANDSCHRIFT
Melk, 1. Hälfte 15. Jh. Seite 131v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=41223
Copyright: Melk, Benediktinerstift



De castitate

Ysidorus Virgo carne. non mente non habet premium in retributione. Quidam enim viventes in iuventute luxuriose. in senectute continentes fieri delectantur, et tunc eligunt servire castitati, quando libido eos suos contempnit. nec in senectute vocandi sunt continentes qui in iuventute luxuriose vixerunt, Tales non habent premium qui labores certaminis non habuerunt. Eos enim exspectat gloria quibus fuerunt gloriosa certamina

Ieronimus Quid castitate decorius que mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, angelum denique de homine facit

Bernardus Si mentem meam cogitatione immunda polluo. ei qui mundicie auctor est placere non valeo

Ambrosius Omnis qui amore Christi castitatem elegerit, nunquam in eternum amaritudinem degustabit Gregorius Non potest corpus corrumpi nisi de consensu mentis Augustinus Nichil prodest virginitas corporis ubi operatur corruptio mentis Gregorius qui corpus continencie dedicat, habitare cum feminis non presumat

Non parva culpa est cum ille qui se deo obtulit, deo se postea aufert, et diabolo se offert. Et qui corpus suum per votum continencie deo exhibuit. hostiam viventem. sanctam deo placentem, post per incontinenciam illud diabolo exhibet hostiam morientem execrabilem fetentem, et vite angelice quam ducere proposuit. vitam porcinam ymo diabolicam preponit

Bernardus Quid decorius castitate. que de homine facit angelum, contrario quid immundius luxuria que angelos in porcos convertit